Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



et cecidit ad pedes ihesu rogans eum ut ingrederetur in domum eius quia
filia unica erat illi fere annorum duodecim et hec moriebatur Et
contigit dum iret comprimebant a turbis Et mulier quedam erat in
fluxu sanguinis ab annis duodecim quae in medicos erogauerat omnem
substantiam suam nec ab ullo potuerat curari Hec accessit retro et tetigit fim
briam uestimenti eius et continuo stetit fluxus sanguinis eius
Et ait ihesus Quis est qui me tetigit Negantibus autem omnibus dixit
petrus et qui cum illo erant Praeceptor turbae te comprimunt et affli
gunt et tu dicis Quis me tetigit Et dixit ihesus Tetigit me
aliquis Nam ego cognoui uirtutem de me exisse Videns autem
mulier quia non latuit tremens uenit et cecidit ante pedes eius et ob
quam causam tetigerit eum indicauit coram omni populo et quomodo con
festim sanata sit At ille dixit ei Filia fides tua te saluam fecit
Vade in pace Adhuc eo loquente venit quidam ad principem synagogae
dicens illi quia mortua est filia tua noli uexare illum Iesus autem
hoc audito respondit patri puellae Noli timere Crede tantum et sal
ua erit Et cum ingressus esset ad domum non permisit secum intrare
nisi petrum et iohannem et iacobum et matrem puellae et premebant
autem omnes et plangebant illam At ille dixit Nolite flere
Non est mortua puella sed dormit Et deridebant eum scientes quia
mortua est Ipse autem tenens manum eius clamabat dicens puella
surge et reuersus est spiritus eius et surrexit continuo et iussit illi
dari manducare Et stupuerunt parentes eius Cui praecepit ne alicui di
cerent quod factum erat Sequitur in nomine

IX

Conuocans autem ihesus duodecim apostolos dedit eis uirtutem
et potestatem super omnia daemonia et ut languores curarent Et
misit illos predicare regnum dei et sanare infirmos Et ait
ad illos Nichil tuleritis in uia neque iumenta neque peram neque panem neque
pecuniam neque duas tunicas habeatis Et in quamcumque domum intrauerit
ibi manete et inde non exeatis Et quicumque non receperit uos exeuntes
de ciuitate illa etiam pulueres pedum vestrorum excutite in
testimonium super illos Egressi autem circuibant per castella euangelizantes
et curantes ubique Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quae fie
bant ab eo et hesitabat eo quod dicebatur a quibusdam quia Iohannes
surrexit a mortuis A quibusdam uero quia helias apparuit Ab
aliis autem quia unus de antiquis surrexit propheta Et ait Herodes Iohannem